



**Admonitio fraterna ad Melch. Leydeckerum S.S. Theol. Doct. &  
in alma Trajectina Academia professorem, ut deponat iram, ac  
maledicensi in fratrem animum exuat, & injustam, quam  
patrocinator, causam deserat**

<https://hdl.handle.net/1874/19322>

*Admonitio Fraterna*

277.

UB  
889.

A D

**MELCH: LEYDECKERUM**

S. S. Theol. Doct. & in alma Trajectina  
Academia Professore.

*Ut deponat iram, ac maledicendi in Fratrem  
animum exuat, & injustam, quam pa-  
trocinatur, causam deserat.*



Anno M. DC. LXXXIX.

*Prov. 27: 5, 6.*

Melior est manifesta correptio, quam  
amor absconditus; Meliora sunt  
vulnera diligentis, quam fraudu-  
lenta odientis oscula.

**C**Um nuper incidissem in cujusdam Theologi libellum , cujus inscriptio erat (*Melchioris Leydeckeri Dissertatio Apologetica , qua D. J. Vlack adversus libros Symbolicos errores ostenduntur*) non potui satis mirari, imo dolere, singularem atque insignem , quam in eo detegi, verborum scurrilitatem, attamen ut auctor sibi persuadet sale quodam adpersam, qua suas iras in Fratrem suum evomuit: fortasse quantum conjecturis assequi potui profectam a plusquam humana viri iracundia , qua adeo percitus atque correptus videtur, ut quasi vehementis canis tactus morfu, furore insaniens & mentis impos per Trajectinam vagetur urbem, atque discat *equitare in arundine longa*.

Doleo vicem tuam , Vir clarissime , quod atra tua bilis, per omnes diffusa venas adeo sanguinem tuum ebullire fecerit , ut nimium iræ tuæ indulgens , oblitus honoris & dignitatis , qua te ornatum libello tuo præponis , in eam erga Fratrem tuum , quo-cum mutua ope ad orthodoxam propagandam fidem incumbis , prorumpas scurrilem dicendi rationem , quæ potius è fece plebis & in omnium nequitiarum officinis versatum hominem, quam S. S. Theol. Professore decet, cujus dicta & facta quandam suo muneri consentaneam gravitatem & Majestatem præ se ferre oportet.

Posses furorem tuum condonare odio, quo laboras, Theologico ; scio illud esse vehemens , non vero tibi ut Theologo , nisi nimia fortasse sapientia furibundo : Verum quis talia posset de te suspicari , qui tot tantaque singularis eruditionis & doctrinæ quotidie edis specimina , quæ nunquam obliterabit vetustas , quibus quasi obrutus & planè immerfus jacet orbis literarius, ita ut quemque in tui admirationem rapias , dubitantem *num edas libros , num vomas* : Quanquam

& ego, & mecum omnes moderatiorem scribendi diligentiam a te desiderant, magis enim esset perpolitum quicquid a te proficisceretur; quippe nimio scribendi ardore inflammatus saepe quicquid in buccam venit, in chartam conjicis, unde adeo immaturos quandoque foetus in lucem propellis, ut eos intra domesticos parietes asservari, quam in publicum protrudi & virorum doctorum oculis subjici, famæ tuæ foret magis consultum.

Attamen laudo tuam diligentiam; verum detestor pronum tuum ad maledicendum animum, qui sese ubique per totam tuam dissertationem Apologeticam singulis fere paginis prodiit: Itaque si omnes, quas in Fratrem tuum evomis, injurias vellem huic inferere, totus esset describendus libellus.

Si Fratres in errores forte incidant, an non charitatis lex suadet, imo præcipit, ut amica, ut ita dicam, manu, & Fraternalibus admonitionibus, intermissis *columbinis* (ut tuis utar verbis) *osculis* in rectam reducamus viam? Homines enim nati sumus, & humana conditio infinitis nos reddit erroribus obnoxios: Id ipsum a te imprimis omnes expectant, utpote, qui publicè Theologiam in alma Trajectina Academia docendi munere ornatus, non tantum aliis, qui tuis sub auspiciis ad excolendam hanc disciplinam animum applicant, eam commendare obstrictus sis, verum ut iis quoque sis exemplum, ad quod sese componere ac formare debent, tibi incumbit. Discant jam ex diffamatorio tuo libello, proximi famam mille fictis calumniis & probris dilacerare; discant Theologiam, sanctissimam, purissimam, cælitus nobis missam disciplinam, ad quam illotis manibus accedere summum habetur nefas, puerilibus nugis & acerbissimis, iniquissimis ex impuro animo prolatis erga Fratrem injuriis, contamina-

re : Quibus adeo *scatet* tua Apologetica dissertatio , ut dissertationem dissertatione cumulare necesse habeas , qua tuam scurrilem cum Fratrem disputandi rationem , sine dubio ab omnibus viris gravibus & honestis rejectam & improbatam , excusare queas. Verum cum nihil adeo sit malignum , quin quodam modo prodesse queat , in tantum tua nobis proderit dissertatio , ut, detracta jam larva , perspiciamus , quæ persona sub decoro & honesto latuerit habitu : O quanta species ! si cerebrum habuisses , non adeo fuisses famæ tuæ prodigus , neque abjecisses illam modestiam & gravitatem , quam virum Theologum vultu & ore oportet exprimere , qua hominum sibi animos conciliat , & ad omnem sibi præstandam reverentiam instigat. Unde discas quam male tibi ipsi consulueris , dum fefelleris opinionem , quam omnes de tua habuere modestia & gravitate , itaque cum proximi læsisti famam , propriæ fecisti jacturam , quam omnes boni & honesti vitam juxta æstimant. Verum de ea parum videris mihi sollicitus , modo atram in Fratrem bilem effudere liceat : Vellem equidem ut tecum reputares , non tui , non Fratris , sed universæ reformatæ Ecclesiæ hic causam agi , cui hisce bellis intestinis nova infliguntur vulnera , & quidem ab iis , qui simulant se *Ecclesiæ sortem magis dolere , quam suam.*

Quid enim intempestivâ tuâ adversus fratrem irâ susceptum bellum proderit Ecclesiæ ? nisi quod deterrebis magis ab amplectenda Reformata Religione , qui a nobis dissentiunt , cum videant non tantum litium uberrimam segetem , verum etiam internecivi odii , iniquissimarum injuriarum & acerbissimarum calumniarum , quibus se invicem prosequuntur fratres , quasi matrem esse : Dum nihil aliud nobis oportere suadere , quam pacem , unionem , concordiam , tolerantiam & mutuum amorem ; sunt enim hæc certa & falli nescia,

veræ , puræ & nullis superstitionum maculis adpersæ Christianæ religionis testimonia , quibus & olim Christiani ab ipsa Ecclesiæ infantia probarunt veram & a Christo traditam religionem , quam ipsi profitebantur. Verum, prohi dolor ? in ea jam incidimus tempora , quibus Fratrum quoque gratia rara est , fugere pudor , verumque fidesque , in quorum subiere locum fraudesque , dolique , insidiæque , quas Fratres struunt sibi invicem , itaque ferream merito statuimus jam prodiisse Ecclesiæ ætatem , a qua omnis exulat amor, quo Christus voluit , ut tanquam ejusdem capitis & religionis membra nos invicem amplecteremur. Quæ omnia portendunt magnam Ecclesiæ imminere tempestatem , qua adeo possent ejus fundamenta concuti & labefactari , ut verear ne tota concidat : Prædixit olim Christus ruinæ esse propius regnum , quod intestinis laborat dissidiis. Quid aliud nobis polliceri possimus de Ecclesia nostra , si præsentem ejus faciem intueamur , tot intestinis dissensionibus misere concussam , quæ ab iis seruntur , quibus cura incumbit , ne quid ea detrimenti capiat.

Quid boni expectandum ab iis , qui & ipsi litium & bel-  
lorum auctores sunt ? Nullum aliud est refugium , nisi suprema in Republica Majestas , quæ tempestive hisce malis , pro auctoritate ipsis concessa , mederi possunt & obviam ire , ne latius serpent , & serpendo accrescant & graviora fiant ; melius est in tempore prævenire , quam post perditam causam remedium quærere. Cum enim Reipubl: salus a tranquillitate dependet , quæ haberi nequit , perturbatâ Ecclesiâ , qui summæ rerum in Rep. præsent , utriusque salutis , quæ pari passu ambulant , inservire debent , imprimis ubi deseritur ab iis , quibus ea demandata est in Ecclesia provincia. Vellem Vir Clarissime , ut deposita irâ ad sanam redires mentem , iram  
fu-

furorem esse brevem jam olim in scholis didicisti, posses tuam excipere fateor, quia Theologus; sed reputa tecum, te *Academiarum pulsare fores*, & limina terere, atque *sacra juventuti pedagogum*, morumque datum formatorem, quo honoris gradu ipse adeo gloriaris, quasi nullus tibi esset secundus, saltem non tuus adversarius, nisi quod ejusdem humanæ naturæ tecum sit particeps. Cogita igitur, quo magis excellas, eo magis vitia tua in hominum oculos incurere, & pro dignitatis mensura, præsertim muneris, humeris tuis impositi, qualitate, aggravari & carpi a vulgo, quia quo quis inter cæteros magis eminent, eo minus putant cum vitiis obnoxium, quod a ratione mihi non videtur alienum, si virtus esset semper causa conferendi in aliquem honoris. Depone iram, si famæ consulere velis, & redi cum fratre in gratiam, vides enim te desertum ab omnibus, quibus mens sana est in corpore sano, vides adeo iniquam tuam esse causam, ut nullum potuerit invenire patronum: Pete veniam, quid moras necis? Nonne vides, causâ perditâ, injustum & maledicum in fratrem extitisse accusatorem? Sed fatere nimiam te agitatum ira, omnem exuisse humanitatem, & charitatem, omnem rationis usum perdidisse, omnia denique abjecisse officia, quæ natura voluit, ut homo præstaret homini, frater fratri; & quo arctior intercedit necessitudo, eo arctius devincti sumus præstare naturæ debita, quæ secundum necessitudinis mensuram homines sibi invicem debent. Nullus dubito, quin facile D. J. Vlack condonaturus sit peccata juventutis tuæ.

Quid enim viro Theologo dignius placabilitate? Quid laudabilius, quam non perturbari in rebus asperis, semper præfenti animo uti, & consilio, nunquam a ratione discedere? ne nos capiat oblivio officiorum, quæ nobis invicem debemus.



mus. In omnibus rebus se præbere moderatum, humanum, clementem, benignum erga omnes, cum quandam natura cognationem inter homines constituerit, oportet ac decet hominem rationis participem, imprimis Christianorum sacris initiatum, imo antistitem & sacerdotem, quem non fugit, benefaciendum etiam inimicis, neque par pari referendum, imo amore complectendos voluit Christus, qui odio nos prosequuntur; leviores enim sunt injuriæ, quæ ex perturbatione & repentino aliquo animi motu proficiuntur, solent enim eæ esse breves, ideoque facilius remittendæ.

Quam vehementer enim alibi insurrexeris in celeb: Coccejum, Burmannum, aliosque viros doctrina & eruditione quondam florentissimos (ut abunde scripta, quæ in omnium manibus versantur, testantur) quam iniquissimas in eos effuderis calumnias, cum iis tamen jam videris inducias fecisse & rediisse in gratiam, quando eos sæpius in libello tuo dicis *viros celeberrimos, doctissimos, venerandos*. Debitis ipsis nomina, quæ jure sibi possunt vindicare, attamen necessitate tibi fortasse extorta: omni enim causæ justitia destitutus, amicos & inimicos in auxilium vocas.

Hanc ipsam cogitationem animum tuum subire spero Vir Clarissimè, ut culpæ tuæ conscius fratrem tibi reconciliare studeas, quod ab eo, ut viro moderato, salutem Ecclesiæ interferviente, facillè impetrabis, & gaudebit Ecclesia, cum videat (sedata tempestate) reviviscere inter Fratres concordiam, & mecum exclamabit, o! quam jucundum Fratres in unum habitare.